



ALEXANDRI APHRODISI
ENSIS IN ARISTOTELIS STA-
GIRITÆ PRIORA RESOLVTORIA

PRÆFATIO.

Ioanne Bernardo Feliciano

Interprete.



LOGICA et ratiocinatrix tractatio quę nũc nobis pposita est, sub quam demonstratiua, dialectica seu disertatiua, & tentatiua, & insuper captiosa methodus reducitur: opus quidem philosophiæ est, ipsa tamen aliæ quoq; nõnullæ scientiæ & artes utuntur, ubi uidelicet eam à philosophia acceperint: quippe cum ad hanc pertineat, ut & eam inuentat & constituat, & ad ea quæ maxime sunt præcipua ipsa utatur. Cum igitur opus philosophiæ sit, aliis pars, aliis non pars sed instrumentum esse eius uidetur. Qui eam esse partem philosophiæ dicunt, propterea ad id asserendum inducuntur, quod admodum circa reliqua quæ philosophiæ cõsensu omnium partes

sunt, uersatur philosophia, inuentiõnem ipsorum, & ordinem, & constitutionem opus suum efficiendo: sic circa hanc tractationem facit. Quæ cum sit philosophiæ opus, neutrius ex reliquis philosophiæ partibus, neq; contemplatiuæ, neq; actiuæ, membrum est: quippe cum aliud hæc, aliud illæ subiectum habeant: & diuersum uniuscuiusq; ipsarum propositum sit. ita ut quibus inter se differentes illæ inter sese ex aduerso distinguuntur: iisdem hæc quoq; methodus cum ab utraq; illarum diuersa sit, merito etiam ipsa ex aduerso ab illis distinguatur. Differt enim ab illis tã subiecto, quæ sunt auctorameta. i. dignitates & propositiones: quæ sine ac proposito. Huius siquidem propositum est, ut quadam propositionum compositione, ex iis quæ ponunt, & conceduntur, necessario colligi aliquid demõstret. id quod neutrius illarum finis est. Qui uero nõ partem, sed esse hanc philosophiæ instrumentum asserunt, satis esse id negant ad ostendendum aliquid artis alicuius, aut scientiæ partem esse, quod ars aliqua aut scientia circa eam partem e modo uersetur, quo circa unamquãq; ex reliquis partibus suis, de quibus tractat, partem enim non ex eo tantum iudicari, quod circa eam aliquid uersetur: sed adesse etiam illud debere affirmant, ut finis ipsius & constitutio non ad aliud aliquid referatur ex iis circa quæ eadem hæc scientia uersetur: neq; illius causa quæratur, & constituatur: quippe cum id quod ad utilitatẽ & usum quorũdam aliorum quæ sub eadem scientia, aut arte sunt, reducuntur, merito neq; ab illis quorum causa & est & fit, ex aduerso distinguatur: neq; pars similis illis sit, quorum causa est. Quod enim ad aliqua reducitur, & cuius finis quia ad aliorum inuentiõnem & constitutionem confert, propterea exercetur: id instrumentum illorum aliorum est. Quemadmodum enim in diuersis artibus, quod alicuius artis opus est, id cuiusdam alterius est instrumentum: ita si aliqua sint in eadem etiam scientia & arte, quæ inter sese hanc rationem habeat: efficietur, ut alterum illorum sit instrumentum, alterum quod præcessit, opus & pars. Quippe cum nihil uetet, quo minus mal-leus, & incus fabrilis artis sint instrumenta, licet eiusdem quoq; opera sint. Adde, quod euenit iis quoque partem hanc philosophiæ esse dicunt, ut philosophiæ partem aliarum scientiarum & artium instrumentum esse fateantur: quæcũq; ad confirmationem & constitutionem suorum ratiocinationibus & demonstrationibus uti consueuerunt. utuntur siquidem ipsis his non ut partibus propriis: neq; enim fieri ullo modo potest, ut diuersarum scientiarum eadem pars sit: neq; illarum quępiam hæc horum constitutionem & inuentiõnem uersatur. Quare ipsis in instrumentis profus utuntur. At si ita est, ea scientia semper est magis architectonica ac principalis quæ ad

Alex. Aphro. sup Prio.

A iii